

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (27)

4.10.2. De novis foundationibus extra Germaniam factis

Cum Norbertus Weber esset Archiabbas, Congregatio Ottiliensis praeter regiones missionarias iam acceptas magis atque latius extenta est. Imprimis post primum bellum mundanum plures foundationes toto in orbe terrarum inchoatae sunt. Causae huiusmodi procedendi erant unā ex parte in condicionibus oeconomicis in Germaniā quōque inveniendis. Nam illis annis post bellum inflatio rei pecuniariae vigebat, quae scilicet effectum etiam exseruit in monasterium. Aes alienum assumendum erat, stipes non tam large offerebantur, cum homines ipsi tantam pecuniam superfluum non haberent, atque pecunia Germanica non tam facile in pecuniam extraneam transmutari potuit. Sic Ottilienses vires pecuniariae illis annis valde onerabantur, cum opera missionaria iam exstantia ab Germanicā domo matrice sustentanda essent. Itaque Archiabbas Norbertus Weber pecuniarias condiciones Ottilienses fundamentaliter in melius mutare conatus est foundationibus novis, quas in regionibus exteris suscepit. Nam cogitatio erat in eo, ut tales domūs extra Germaniam sitae stipes pro missionibus colligerent et hunc in modum ad condiciones domesticas facilitandas aliquid attribuerent.¹ Praeterea illis annis

1 De explicatione condicionum *cf.* etiam Cyrill SCHÄFER: Sankt Ottilien. In: Germania Benedictina. II. Die benediktinischen Mönchs- und Nonnenklöster in Bayern. St. Ottilien 2014, p. 1999; Enrique OBEDIENTE: Ein benediktinisches Vorhaben in Venezuela. In: Basilius DOPPELFELD (ed.): Mönche und Missionare. Münsterschwarzach 1988, p. 113; Frumentius RENNERT: Mutterabtei St. Ottilien und Entfaltung der Kongregation. In: Leuchter 2 (21992), p. 30; Cyrillus WEHRMEISTER: Die Benediktinermisionäre von St. Ottilien. St. Ottilien 31939, p. 116; Vitalis FRIESENNEGGER: Abtei San José in Venezuela (1965-1990). In: Leuchter 4 (1993), p. 295; Frumentius RENNERT: Gründungen in Süd- und Nordamerika. Notlage und Notlösungen der zwanziger Jahre. In: Leuchter 4 (1993), p. 277; Godfrey SIEBER: The Benedictine Congregation of St. Ottilien. St. Ottilien 1992, p. 78; Johannes MAHR: Erzabt Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.): Beständigkeit und Sendung. St. Ottilien 2003, p. 159.

Sed iam tempore illarum foundationum causae eodem modo explicabantur. *Cfr.* ex. gr. Norberti Weber epistula usūs familiaris ad participes Capituli specialis anni 1923 directae (sine die) (ASO, K.3.1); Decreta Capituli specialis, 22.1.1923 (ASO, K.3.1; Norberti Weber epistula die 4 m. Ian. a. 1924 ad Thomam Spreiter directae (ASO, Z.3.0.1.5), quā explicuit Congregationi incepta oeconomico efficacia esse praeparanda, ut eadem missiones sustentare posset, cum ex Germaniā in paupertatem redactā nihil exspectandum esset; epistula Bonifatii Sauer die 22 m. Mart. a. 1927 ad Delegatum Apostolicum Iaponiae Marium Giardini directae (ASA, Apr 585), quā Idem rettulit plures foundationes

plures viri monasterium Ottiliense intraverant et multi monachi missionarii ex Africā orientali expulsi domi versabantur. Eisdem Archiabbas occasionem in regionibus exteris operandi atque missionem provehendi praebere et voluit et debuit. Nihilominus non omnes hae foundationes novae - ut videbimus - effectum desideratum habuerunt neque sustentari potuerunt.²

4.10.2.1. De America meridionali

4.10.2.1.1. De fundatione in Venetiola suscepta

Prima quaestio est, quomodo Ottiliani in Venetiolam pervenerint. Factum autem est per ambagines quasdam. Nam anno 1894^o Iacobus Florentius [*Santiago Florencio*] Machado, sacerdos Venetiolanus, in septentrione urbis Caracarum³ sacellum Sancto Iosepho dicatum aedificaverat atque paulo post etiam oecotropheum pueris pauperibus destinatum condiderat, cui nomen «San José del Avila» indidit.⁴ Cum idem aetate provecior esset et iam aegrotaret, anno 1921^o successores quaerere coepit, qui opus suum suscipere atque continuare vellent. Primo hanc ob causam se convertit ad Abbatem Secco-

exteras post bellum mundanum necessarias fuisse, ut Germanicae condiciones incertae compensarentur, quā de causā monasterium in Japoniā condendum Ottiliani reprobare coacti essent.

- 2 Contemporanei quidam has foundationes omnino non probaverunt, cum putarent domos tantummodo pecuniae causā conditas benedictione non frui, quia contra principia Congregationis institutae essent. - *Cfr* ex. gr. Thomae Spreiter epistula die 15 m. Sept. a. 1925 ad Placidum Vogel directa (ASO, Z.3.0.1.5); epistula Thomae Spreiter die 10 m. Aug. a. 1925 ad Bonifatium Sauer data (ASO, Z.3.0.1.19); Thomae Spreiter epistula die 9 m. Iun. a. 1925 ad Bonifatium Sauer directa (ASO, Z.3.0.1.19).

Nonnulli posteriores quōque similem existimationem proferunt. *Cfr* ex. gr. Leander BOPP: St. Ottilien - 50 Jahre Abtei. St. Ottilien 1952, p. 68 (ASO, D II); Frumentius RENNERT: Süd- und Nordamerika. *In*: Leuchter 4 (1993), p. 277; Frumentius RENNERT: St. Ottiliens Gründungen in Lateinamerika unter Erzabt Norbert Weber nach dem Ersten Weltkrieg. *In*: Basilius DOPPELFELD (ed.) (1988), p. 105.

- 3 *Caracas*.

- 4 De hōc conexū atque de eventibus praecedentibus *cfr* fusius Vitalis FRIESENEGGER: Gründungen in Venezuela und Kolumbien. *In*: Leuchter 2 (1992), pp. 327 sqq. Brevius etiam Otto HOFSTETTER: Benediktiner in Venezuela. *In*: Missionsblätter 38, 1934, p. 98. Similiter de hac re refertur in typoscripto in archivo Ottiliensi asservata, cui titulus est «San José del Avila und La Trinidad de Maracay, die südamerikanischen Klöster der Benediktinerkongregation von St. Ottilien», p. 1 (ASO, Z.Caracas). Huic typoscripto neque annus neque nomen auctoris adscripta sunt, sed suspicandum est auctorem huius textūs etiam esse Ottonem Hofstetter, quia textus paene est idem ac in relatione «*Paginarum missionariorum*». Ceterum quoad tempus, quo hic textus conscriptus est, p. 3 legitur «*anno 19330, qui nunc est*» (textus originaliter Theodiscus).

viensem Laurentium Zeller, qui illo tempore erat Apostolicus Visitator Benedictinae Congregationis Brasilianae et cui anteriore anno occurrerat. Sed ille hōc opus continuare recusavit, cum ipsi propter alias obligationes Patres deessent ad labores in Venetiolā exanclandos.⁵ Iacobus Machado deinde ab Nuntio Apostolico Philippo [*Felipe*] Cortesi auxilium petivit. Philippus Cortesi itaque regiminis desiderium, quod ad Benedictinum athenaeum agriculturae spectabat,⁶ cum desiderio Iacobi Machado coniungere conatus est. Eā de causā idem epistulariter Apostolicam Nuntiaturam Monacensem adiit consilium petiturus. Hunc in modum anno 1922^o denique Archiabbas Norbertus Weber de proposito certior factus est.⁷

Illud vero inceptum Norberto Weber generaliter non inopportuno esse atque cum cogitationibus quoad novas foundationes externas bene convenire videbatur. Itaque Capitulum speciale in mensem Ianuarium a. 1923ⁱ convocavit, quo ageretur de foundationibus exteris, quae illo tempore Ottilianis offerebantur.⁸ Sed ante ipsum Capitulum Norbertus Weber ad eiusdem participes Abbatem Placidum Vogel Suarzacensem atque Abbatem Coelestinum Maier Swickersperchensem epistulam «circularem» misit, quā praeter alia condiciones in Venetiolā inveniendas atque emolumenta huius foundationis explicuit.⁹ Ibidem rettulit agi de instituto educatorio scholāque opificum pro pueris pauperibus, quod institutum iam bene instructum fundatumque esset. Etiamsi

5 Vitalis FRIESENNEGER: Venezuela und Kolumbien. In: Leuchter 2 (1992), pp. 332 sq. textūs huius commercii epistularis exhibet, quae epistulae illo tempore in archivo Abbatiae San José del Avila asservabantur.

6 Iam anno 1920^o de hac re consultationes initae erant inter Venetiolae administrum rei oeconomicae atque Abbatem Laurentium Zeller, quibus Abbas sub condicionibus quibusdam ad tale athenaeum condendum quadamtenus paratus erat. Sed postea ex hōc propositō tamen se retraxit.

Cfr imprimis Vitalis FRIESENNEGER: Venezuela und Kolumbien. In: Leuchter 2 (1992), pp. 329 sqq.; rem breviter etiam commemorat Otto HOFSTETTER: Benediktiner in Venezuela. In: Missionsblätter 38, 1934, p. 98; [Otto HOFSTETTER:] San José del Avila (s.a.), p. 1 (ASO, Z.Caracas).

7 *Cfr* Vitalis Friessenegger: Venezuela und Kolumbien. In: Leuchter 2 (1992), p. 333; Otto HOFSTETTER: Benediktiner in Venezuela. In: Missionsblätter 38, 1934, p. 98; [Otto HOFSTETTER:] San José del Avila (s.a.), p. 1 (ASO, Z.Caracas); Leander BOPP (1952), p. 66 (ASO, D II).

8 Praeter Venetiolam agebatur de Argentina, de insulis Philippinis atque de Hispania. De his inceptis *cfr* infra cap. 4.10.2.1.2; cap. 4.10.2.3, cap. 4.10.2.4.

9 *Cfr* epistula Norberti Weber ad participes Capituli specialis anni 1923 directa (ASO, K.3.1).

aedificia generaliter in possessione episcopi Caracensis manerent,¹⁰ eadem ad liberum usum Benedictinorum traditum iri. Subiunxit autem Archiabbas se putare inde bonum fontem pecuniarum accipiendarum exoriri posse, quibus propria officia Congregationis sustentari possent.

Capitulum speciale die 22^o m. Ian. a. 1923^o instituebatur et ibidem etiam de proposito Venetiolo accipiendo positive decernebatur.¹¹ Hoc responsum affirmativum Norbertus Weber deinde Apostolico Nuntio Caracensi reliquisque responsalibus ecclesiasticis Venetiolanis transtulit. Tamen quod attinebat ad scholam agriculturae satis caute se retinuit, quia ex longinquo et condiciones ibi vigentes nesciens de hac re decernere noluit.¹²

Post Capitulum speciale omnia satis celeriter transigebantur. Nam statim designabantur ii, qui primi novam foundationem Venetiolanam curaturi erant. Hi erant P. Villibrordus Lay¹³ ut Superior atque P. Antonius Leyh¹⁴ Ottilien-
ses, Fr. Benedictus Hagenauer atque Fr. Hieronymus Metzger Suarzacen-

10 Anno 1922^o Iacobus Machado institutum suum areamque episcopo Caracensi vendiderat. - *Cfr* Vitalis FRIESENNEGGER: Abtei San José in Venezuela. In: Leuchter 4 (1993), p. 296.

11 *Cfr* Decreta Capituli specialis anni 1923, § 2 (ASO, K.3.1).

Thomas Spreiter postea questus est non omnes capitulares de novis foundationibus interrogatos esse, sed tantummodo Capitulum speciale institutum esse. *Cfr* Thomae Spreiter epistula die 10 m. Aug. a. 1925 ad Bonifatium Sauer directa (ASO, Z.3.0.1.19). In eadem epistolā etiam protulit hanc rem contra sententiam aliorum participum Capituli specialis (ab Norberto Weber) constitutam esse. In epistolā die 4 m. Maii a. 1926 ad Bonifatium Sauer missā (ASO, Z.3.0.1.19) idem commemoravit se comperisse Placidum Vogel et Coelestinum Maier demum «post facta» de foundationibus interrogatos esse. Tamen aliquatenus dubito, num utrumque opprobrium fundamentum reale habeat, imprimis cum epistolam «circularem» supra commemoratam (ASO, K.3.1.) respiciamus.


12 Hanc cautionem etiam commemorat Vitalis FRIESENNEGGER: Venezuela und Kolumbien. In: Leuchter 2 (1992), p. 333. - Eadem perceptio rei etiam apparet ex epistolā Norberti Weber die 12 m. Mart. a. 1923 ad Apostolicum Nuntium Philippum Cortesi datā, quam primi monachi Ottiliani secum in Venetiolam attulerant. Versionem Theodiscam huius epistolae exhibet Vitalis FRIESENNEGGER: Venezuela und Kolumbien. In: Leuchter 2 (1992), p. 335.

13 P. Villibrordus Lay anno 1913^o redditus erat Apostolicus Praefectus regionis missionariae Lindiensis, sed inter primum bellum mundanum sicut reliqui Germani Africanam orientalem relinquere coactus erat et denique anno 1922^o munere Praefecti se abdicaverat. - *Cfr* supra cap. 4.6.4., cap. 4.6.2.1.1.

14 De P.re Antonio Leyh eiusque meritis pro foundatione Venetiolanā *cfr* ex. gr. Frumentius RENNEN: Verdiente Gründungsmitglieder, Priester und Erzieher in Caracas und Maracay. In: Leuchter 4 (1993), pp. 324 sqq.

ses.¹⁵ Idem iam die 16^o m. Mart. a. 1923^o ex Germaniā profecti sunt et die 2^o m. Apr. a. 1923^o in Venetiolum advēnērunt,¹⁶ ubi bene recepti sunt.

Patres Fratresque, qui tunc Caracis versabantur, statim laborare coeperunt, oecotropheum atque institutionem scholarem susceperunt, in curam loci periegetici Sancti Iosephi cum instituto coniuncti incubuerunt, quamquam in initio omnes labores satis difficiles erant, quia Ottiliani unā ex parte conditionibus vigentibus assuefieri debuerunt, alterā ex parte linguae Hispanicae nondum satis periti erant.¹⁷ Nihilominus ad labores sustentandos atque promovendos iam mense Novembri a. 1923ⁱ secundus grex Ottilianorum advenerat,¹⁸ cui praeerat P. Sigisbertus



P. Antonius Leyh.
[Ottiliense archivum imaginum.]

-
- 15 *Cfr* Chronik San José del Avila, n. Oct. a. 1925; Otto HOFSTETTER: Benediktiner in Venezuela. In: Missionsblätter 38, 1934, p. 98; [Otto HOFSTETTER:] San José del Avila (s.a.), p. 1 (ASO, Z.Caracas); Vitalis FRIESENEGGER: Venezuela und Kolumbien. In: Leuchter 2 (2¹⁹⁹²), p. 334; Leander BOPP (1952), p. 66 (ASO, D II); Frumentius RENNER: Süd- und Nordamerika. In: Leuchter 4 (1993), p. 280.
- 16 *Cfr* Chronik San José del Avila, m. Oct. a. 1925; Otto HOFSTETTER: Benediktiner in Venezuela. In: Missionsblätter 38, 1934, p. 98; [Otto HOFSTETTER:] San José del Avila (s.a.), p. 1 (ASO, Z.Caracas); Enrique OBEDIENTE: Ein benediktinisches Vorhaben in Venezuela. In: Basilius DOPPELFELD (ed.) (1988), p. 133; Leander BOPP (1952), p. 66 (ASO, D II); Beda DANZER: Die Benediktinerregel in der Übersee. St. Ottilien 1929, p. 147; Vitalis FRIESENEGGER: Venezuela und Kolumbien. In: Leuchter 2 (2¹⁹⁹²), p. 334; Godfrey SIEBER (1992), p. 78; MISSIONSBENEDIKTINER. Ein Klosterführer durch vier Kontinente. St. Ottilien 2008, p. 121.
- 17 Eā de causā Iacobus Machado per plures menses eis auxilium tulit.
- 18 *Cfr* Chronik von San José del Avila, m. Oct. a. 1925; Otto HOFSTETTER: Benediktiner in Venezuela. In: Missionsblätter 38, 1934, p. 98; [Otto HOFSTETTER:] San José del Avila (s.a.), p. 2 (ASO, Z.Caracas); Leander BOPP (1952), p. 66 (ASO, D II); Vitalis FRIESENEGGER: Venezuela und Kolumbien. In: Leuchter 2 (2¹⁹⁹²), p. 338. Erant praeter P.rem Sigisbertum Coray octo Fratres laici: Camillus Vāth, Colomanus Smelch, Gervas Rotter, Gallus Rauch, Bernhardus Wegele, Anselmus Werner, Venantius Stelmüller, Maximilianus Pfeiffer (*cfr* Chronik von San José del Avila, m. Oct. a. 1925). - Frumentius RENNER: Gründungen in Lateinamerika. In: Basilius DOPPELFELD (ed.) (1988), p. 105; Frumentius RENNER: Süd- und Nordamerika. In: Leuchter 4 (1993), p.



P. Sigismundus Coray.
[Ottiliense archivum imaginum.]

Coray.¹⁹

Tamen interea consultationes quōque continuabantur. Nam regimini maximi momenti erat illud athenaeum sive illa schola agriculturae. Sed cum Ottiliani aream, quae eis pro hōc inceptō in usum traderetur, inspicerent, animadverterunt et eandem esse nimis parvam et eius qualitatem non esse sufficientem.²⁰ Sic factum est, ut autumno a. 1923ⁱ in hac quaestione non iam quicquam moveretur.

Sed P. Villibrordus Lay praeterea etiam alias cogitationes habuisse videtur.²¹ Oecotropheum, quod iam exstabat, idem putavit non maioris momenti esse, cum fundamentum bonum non praerberet monasterio ab ipso

praecogitato. Ipse autem magnam scholam opificum instituere voluit. Ut hunc scopum perpetraret, plures Fratres ex Ottiliensi domo matrice habere desideravit. Praeterea rogavit, ut clerici mitterentur, quibus studia theologica Caracis peragenda essent, ut deinde iidem etiam linguae Hispanicae periti in monasterio futuro exstruendo stabiliendoque auxilium magnum ferrent. Denique etiam exoptavit, ut Archiabbas tempore vernali anni 1924ⁱ in Venetiolum veniret, ut de scopo definitivo domūs Sancti Iosephi decerneret.

280 (qui ceterum indicat fuisse decem Fratres et fuisse mensem Septembrem anni 1923ⁱ) scribit eos fuisse gregem fundatorium domūs Sancti Iosephi. Sed [Otto HOFSTETTER:] San José del Avila (s.a.), p. 1 (ASO, Z.Caracas) adnotat P.rem Villibrordum Lay destinatum fuisse Superiorem novae foundationis Venetiolanae.

- 19 De P.re Sigismundo Coray, qui Caracis satis celeriter maxime aestimatus erat, sed iam in initio anni 1927ⁱ vitā functus est, *cf*r ex. gr. Frumentius RENNER: Verdiente Gründungsmitglieder. *In*: Leuchter 4 (1993), pp. 319 sqq.
- 20 De hac condicione *cf*r etiam Chronik von San José del Avila, m. Oct. a. 1925; Otto HOFSTETTER: Benediktiner in Venezuela. *In*: Missionsblätter 38, 1934, p. 98; [Otto HOFSTETTER:] San José del Avila (s.a.), p. 2 (ASO, Z.Caracas); Beda DANZER (1929, p. 147; Vitalis FRIESENEGGER: Venezuela und Kolumbien. *In*: Leuchter 2 (2^o1992), 336.
- 21 Vitalis FRIESENEGGER: Venezuela und Kolumbien. *In*: Leuchter 2 (2^o1992), p. 337 de hōc conexū refert adhibens amplum commercium epistulare inter P.rem Villibrordum Lay atque Archiabbatem Norbertum Weber, quod illo tempore in Venetiolum monasterii Sancti Iosephi archivo asservabatur.

Tamen Norbertus Weber clericos mittere non erat paratus neque illo tempore ipse in Americam meridionalem itinerari valuit. Sed duos delegatos mittere in animo habuit.



*Domus Sancti Iosephi Caracis sita annis vicesimis saeculi vicesimi recepta.
[Otiliense archivum imaginum.]*

Illi duo delegati erant P. Paulus Sauter, peritissimus agriculturae, et P. Petrus Wachter, secretarius et Archiabbatis et Congregationis. Tamen illi non imprimis missi sunt propter desideria atque proposita P. ris Villibrordi Lay, sed ut consultationes de areā ad scholam agriculturae spectante promoverent et ut condiciones, quae ad domum Sancti Iosephi pertinebant, curarent. Generaliter enim agebatur de specialibus condicionibus conexibusque, qui cum talibus foundationibus cohaerebant, quae ex causis oeconomicis in regionibus non proprie missionariis factae sunt.²² Ut ex testimonio facultatum die

22 *Cfr* Paulus SAUTER / Petrus WACHTER: Reisebericht über die Süd-Amerika-Expedition (1924, p. 1 (typoscriptum, ASO, K.5.3). Ibidem quasi in «prooemio explicatorio» legebatur confratribus in Venetiola et in Argentinia versantibus nonnullas intricatas quaestiones muneraque exhiberi, quae modo scripto vix solvi possent. Respicendum autem esse confratres in America meridionali non eandem libertatem agendi habere ac missionarios in Africa atque in Corea. Nam in regionibus missionariis, quae sui iuris essent, confratres propriis pedibus stare et eosdem suum modum progrediendi secundum liberas considerationes Congregationis instituere posse. Aliter res se habere in America meridionali, ubi confratres operam praestarent aliis institutionibus, quae postulata sua exhiberent. Non autem esse officium facile summam talium postulatorum utilitatibus Congregationis accommodare.

His verbis problemata generalia foundationum, quae non in propria regione missionaria

19^o m. Febr. a. 1924^o ab Norberto Weber dato apparet, illi duo delegati ut vicegerentes Archiabbatis agebant, quibus, quamvis instructiones scriptas haberent, secundum condiciones inventas libere decernere licuit.²³

P. Paulus Sauter et P. Petrus Wachter ergo die 26^o m. Mart. a. 1924^o in urbem Caracas advēnērunt et mandata sua exsequi coeperunt.²⁴ Quod attinebat ad scholam agriculturae iidem investigationibus diligentibus factis existimaverunt condiciones praebitas ad tale institutum incohandum neque esse opportunas neque sufficientes.²⁵ Itaque hōc inceptum videbatur transactum.

Tamen restabat adhuc cura domūs Sancti Iosephi, quae quaestio usque ad illud temporis momentum nondum prorsus soluta fuisse videtur. Nam consultationibus habitis P. Paulus Sauter et P. Petrus Wachter cum archiepiscopo Caracensi Philippo [*Felipe*] Rincón Gonzales die 6^o m. Maii a. 1924^o contractum inierunt, quō domus Sancti Iosephi, quae erat possessio archiepiscopi, Benedictinis Ottilianis ad usum tradebatur eisque ius dirigendi administrandique praebebatur. Praeterea accepta ex laboribus exoriunda libere adhibere eis licuit. Alterā ex parte Ottiliani opus secundum intentionem fundatoris continuare atque sanctuarium Sancti Iosephi sustentare obligabantur et Iacobo Machado habitationem in ipsā domo praebere et eidem pensionem solvere debuerunt. Praeterea assensi sunt usuras solvere, quae cum

fiabant, bene describebantur. Pro dolor illa relatio Pauli Sauter atque Petri Wachter illo temporis momento finitur, quo iidem in Venetiolum advēnērunt. Itaque inde de statū rerum, de difficultatibus, de consultationibus nihil comperitur.

- 23 *Cfr* testimonium facultatum ab Archiabbate Norberto Weber Paulo Sauter atque Petro Wachter die 19 m. Febr. a. 1924 datum (ASO, K.5.3). - Ibīdem etiam modus progrediendi explicabatur, si quid decernendum esset et quomodo agendum esset, si delegati casū seiungerentur.
- 24 *Cfr* [Otto HOFSTETTER:] San José del Avila (s.a.), p. 2 (ASO, Z.Caracas); Frumentius RENNER: Süd- und Nordamerika. *In*: Leuchter 4 (1993), p. 281; Vitalis FRIESENNEGGER: Venezuela und Kolumbien. *In*: Leuchter 2 (²1992), p. 337; Frumentius RENNER: Gründungen in Lateinamerika. *In*: Basilius DOPPELFELD (ed.) (1988), p. 105.
- 25 In praeceptis directoriis, quae Norbertus Weber ante professionem delegatorum exaraverat (Richtlinien für die Neugründungen in Venezuela (19.2.1924), p. 2 (ASO, K.5.3), legitur régimen Venetiolanum talem scholam agriculturae desideravisse, tamen fundum propositum et quoad magnitudinem et quoad qualitatem omnino non suffecisse. Sed quia Nuntium Apostolicum, archiepiscopum atque régimen decipere nollent, Ottilianos, ut bonam voluntatem monstrarent, in instituto Caracensi ab ipsis suscepto cursum praeparatorium tali scholae agriculturae aptum exhibere posse. Nihilominus omnino insistendum esse in emptione possessioneque alicuius praedii. Hōc in conexū Norbertus Weber etiam quasdam deliberationes atque condiciones necessarias subiunxit.

hypthecā domui Sancti Iosephi iniunctā cohaerebant. In fine contractūs legitur eundem post quindecim annos sub eisdem condicionibus prorogari posse utrāque parte assentiente.²⁶



*Caracensis domus Sancti Iosephi die festo 19^o m. Mart. a. 1926^o.
[Otiliense archivum imaginum.]*

Hunc in modum quaestio domūs Sancti Iosephi quadamtenus soluta erat, sed quia éadem in propriam possessionem Otilianorum non transierat, ibīdem verum monasterium condi non potuit.

26 *Cfr* Contrado, 6.5.1924 (ASO, K.5.3) (textus Hispanice conscriptus). - Exstat etiam conventio eiusdem diei (Convenio, 6.5.1924 (ASO, K.5.3; textus Hispanice conscriptus), quā quidem quaedam puncta contractūs iterabantur, sed etiam legitur possessionem plenam domūs Benedictinis nondum tradi posse ex causis, quae cum fundatore cohaerebant. Sed archiepiscopus promisit se immediate post mortem Iacobi Machado Benedictinis possessionem cessurum esse, cum alterā ex parte Otiliani promitterent se ipsam hypthecam triginta milium nummorum Bolivariorum soluturos esse.

De hōc contractū *cfr* etiam Vitalis FRIESSENEGGER: Venezuela und Kolumbien. *In*: Leuchter 2 (²1992), p. 337, qui tamen contractum et conventionem in unum contraxit. De contractū quōque *cfr* Frumentius RENNEN: Süd- und Nordamerika. *In*: Leuchter 4 (1993), p. 281; Frumentius RENNEN: Gründungen in Lateinamerika. *In*: Basilius DOPPELFELD (ed.) (1988), p. 106, qui tamen per errorem indicat summam hypothecae fuisse quinquaginta milia nummorum Bolviariorum. - Contractum breviter commemorat Vitalis FRIESSENEGGER: Abtei San José in Venezuela. *In*: Leuchter 4 (1993), p. 281.

Cum autem illud inceptum scholae agriculturae in irritum cecidisset,²⁷ ipse Ventiolae praesidens Iohannes Vincentius [*Juan Vicente*] Gómez Benedictinis auxilium ferre atque eorum condicionem meliorare voluit.²⁸ Itaque medio mense Maio a. 1924ⁱ Superior P. Villibrordus Lay in ministerium rerum internarum vocatus est, ubi de novo proposito officialiter certior factus est. Ad hunc conventum secum sumpserat P.rem Paulum Sauter atque P.rem Petrum Wachter visitatores, ut iidem statim sententiam suam hac in re proferre possent. Apparuit autem praesidentem in animo habuisse institutum condere, quo pueri pauperes educarentur atque erudirentur. Quod vero institutum Benedictinis Ottilianis tradere voluit. Praesidens Gómez enim iuxta oppidum Maracay, quod circiter centum chiliometris distans in regione meridionali-occidentali Caracarum situm erat, praedium magnasque areas habuit, ex quibus partem quandam Ottilianis praebere voluit, ut hunc scopum ad effectum adducerent. P. Paulus Sauter et P. Petrus Wachter itaque unā cum P.re Villibrodo Lay ad condiciones saltem breviter inspiciendas ad locum Maracay itinerati sunt et, quamquam tantummodo ipsam aream atque praedium praesidentis invisere valuerunt, rei generaliter assensi sunt.

Inde ex mense Junio a. 1924ⁱ²⁹ inceptum promovebatur et inde ab initio mensis Iulii a. 1924ⁱ necessaria aedificia aedificanda restaurandaque praeparabantur atque paulatim exstruebantur. Eodem autem mense Iulio P. Antonius Leyh definitive in locum Maracay transmigravit, ut in initio praesertim labores exstruendi observaret. Hunc in modum opus in loco Maracay exaclamandum officialiter suseceptum esse percipiebatur.³⁰

27 Norbertus Weber in praeceptis directoriis suis (Richtlinien für die Gründungen in Venezuela (19.2.1924), p. 3 (ASO, K.5.3)) quidem scripserat, si scholam agriculturae condere in irritum caderet, contractum quoque domūs Sancti Iosephi solvendum et institutum archiepiscopo reddendum esse, sed P. Paulus Sauter et P. Petrus Wachter hoc non fecerunt, fortasse quia iam aliquid de novo proposito praesidentis audiverant.

28 De hoc conexū cfr imprimis Chronik aus Maracay 1924/25; [Otto HOFSTETTER:] San José del Avila (s.a.), p. 2 (ASO, Z.Caracas); Vitalis FRIESENNEGGER: Venezuela und Kolumbien. In: Leuchter (21992), p. 338.

29 P. Paulus Sauter et P. Petrus Wachter illo tempore iam in Argentiniam profecti erant.

30 Cfr Chronik aus Maracay 1924/25; [Otto HOFSTETTER:] San José del Avila (s.a.), pp. 7 sq. (ASO, Z.Caracas); Otto HOFSTETTER: Benediktiner in Venezuela. In: Missionsblätter 38, 1934, p. 98; Leander BOPP (1952), p. 66 (ASO, D II); Vitalis FRIESENNEGGER: Abtei San José. In: Leuchter 4 (1993), p. 297; Vitalis FRIESENNEGGER: Venezuela und Kolumbien. In: Leuchter 2 (21992), p. 338; Cyrillus WEHRMEISTER: Benediktinermissionäre (21939), p. 117, qui tamen annum non indicat. - Beda DANZER (1929), p. 147, qui scribit anno 1923^o duos Patres primo in Venetiolum vectos esse et deinde «eodem

Illā in areā, in quā institutum fore provisum erat, existit domus quaedam vetus, quae deinde restaurabatur et in quā Patres Ottiliani habitaturi erant.



*Domus Patrum in loco Maracay.
[Ottiliense archivum imaginum.]*

Ipsa schola in imo colle recenter erigebatur.³¹ Cum institutum esset oecotrophēum, primi triginta quinque discipuli iam advēnerunt die 2^o m. Dec. a. 1924^o. Tamen sollemnis inauguratio scholae denique die 12^o m. Dec. a. 1924^o celebrata est.³² Praepositus huius instituti, quod appellabatur «Liberorum Refugium Pueris Destinatum» et quod Sanctae Trinitatis dicatum erat,³³ redditus est P. Antonius Leyh.

Quod attinet ad Ottilianos, haec fundatio erat specialis. Nam institutum revera erat statale et Benedictinis ibīdem operantibus traditae quidem sunt

anno» (id est anno 1923^o) locum Maracay Benedictinis ab praesidente traditum esse, quod indicium realitati non convenit.

- 31 De his similibusque operibus fusius referunt [Otto HOFSTETTER:] San José del Avila (s.a.), pp. 7 sq. (ASO, Z.Caracas); Chronik aus Maracay 1924/25; Otto HOFSTETTER: Benediktiner in Venezuela. In: Missionsblätter 38, 1934, pp. 101 sqq.; Vitalis FRIESENENEGGER: Venezuela und Kolumbien. In: Leuchter 2 (2^o1992), p. 339.
- 32 *Cfr* Chronik von Maracay 1924/25; [Otto HOFSTETTER:] San José del Avila (s.a.), p. 7 (ASO, Z.Caracas); Otto HOFSTETTER: Benediktiner in Venezuela. In: Missionsblätter 38, 1934, p. 102; Vitalis FRIESENENEGGER: Venezuela und Kolumbien. In: Leuchter 2 (2^o1992), p. 339.
- 33 «*Refugio Infantil para Varones*». - Simile institutum puellis destinatum videtur eodem loco provisum fuisse, quod Sororibus Tutzingensibus traderetur, sed satis mature ab hac re abstinencebatur.

administratio, instructio puerorum atque moderatio oeconomica, sed ipsi Patres Fratresque salarium ab regimine acceperunt. Hunc in modum - sicuti in huiusmodi inceptis exteris praecogitatum erat - revera pecuniā mereri valuerunt, quae saltem partim ad scopos missionarios adhiberi potuit.



*Cavaedium oecotrophēi (in recessu domus Patrum).
[Ottiliense archivum imaginum.]*

Itaque tunc in Venetiola duo instituta ab Ottilianis curata exstabant, nempe domus Sancti Iosephi Caracis sita et institutum Sanctae Trinitatis in loco Maracay. Tamen semper percipiebantur ut cohaerentes atque quasi ut unitas exstantes. Eā de causā monachi in Venetiola cooperantes etiam inter illas duas domos distribuebantur.

Instituto in loco Maracay condito P. Villibrordus Lay ab munere Superioris domūs Caracensis se abdicavit.³⁴ Die autem 12^o m. Dec. a. 1924^o novus Supe-

34 Vitalis FRIESENNEGER: Venezuela und Kolumbien. *In*: Leuchter 2 (1992), p. 339 adn. 23 scribit P. rem Villibrordum Lay «propter rerum condiciones» munus suum deposuisse. Hōc fortasse significat ipsi displicuisse, quod consilia sua propria ad effectum adduci non potuerunt (sed ad hanc quaestionem diiudicandam eius commercium epistulare cum Archiabbate Norberto Weber esset inspiciendum). - Frumentius RENNER: Süd- und Nordamerika. *In*: Leuchter 4 (1993), p. 281; Frumentius RENNER: Gründungen in Lateinamerika. *In*: Basilius DOPPELFELD (ed.) (1988), p. 106 refert P. rem Villibrordum Lay gravem dissensionem cum Nuntio Apostolico Philippo Cortesi habuisse, quia idem aegre tulerat scholam agriculturæ condi non potuisse, et P. rem Villibrordum eā de causā aliquando munus Superioris deposuisse. Tamen videntur aliae causae fuisse, cur mutatio

rior P. Otto Hofstetter iam advēnit.

4.10.2.1.2. De inceptis in Argentina incohatis

Paene eodem tempore, quo Otiliani in Venetiolum vocati sunt, etiam proposita rogationesque ex Argentina acceperunt. Conamina autem, quae deinde ibi facta sunt, sub eodem aspectu suscepta sunt ac pleraque alia incepta extera illius temporis, nempe ut pecuniā mererentur ad missiones sustentandas.

Primum propositum ex Argentinā allatum est anno 1922°. Nam senator quidam, cui nomen erat Dr Ludovicus [*Louis*] Garcia, praedium suum iuxta vicum Pergamino in provincā Bonaëropolitinā³⁵ situm³⁶ praebere voluit, ut ibidem institutum pueris destinatum atque schola agriculturae conderentur.³⁷

in munere Superioris Caracensis facta esset. Nam exstat epistula scitu vere digna, quam P. Sigisbertus Coray, qui Caracis cooperatus est, die 24° m. Aug. a. 1924° ad confratrem quendam (nomen non apparet) direxit (ASO, K.5.3). Ibīdem praeter alia leguntur haec: «*R.P. Villibrordus non est vir pro novis foundationibus. Sensus administrationis etc. ei multum deest. Haec omnia et plura in Archiabbatia Otiliensi ex experiētiā sciri debuerunt. Africa? [...] Propter mancā scientiam linguae [sc. Hispanicae] R.P. Villibrordus quasdam res stultas fecit et hunc in modum saepius auctoritatem suam amisit (etiam erga R.mum Nuntium et erga archiepiscopum). Quantum valeo, currum iterum in rectas orbitas imponere conor. Hic vitam gravem habemus. Fratres partim deficiunt, quia R.P. Villibrordus ut Superior eos tractare omnino nescit et Fratres nullam fiduciam in eum ponunt. Triste, sed verum. Visitatores sic dicti paene nihil effecerunt. Usque dum novus Superior vēnerit, manentne omnia ut sunt???* Mutatio expectatur et quo prius eo melius.» (Textus originaliter Theodiscus). - Et in praeceptis directoriis Norberti Weber (Richtlinien für die Neugründungen in Venezuela (19.2.1924), p. 3 (ASO, K.5.3)) legitur, «*si quaestione praedii solutā extētio atque dilatio in tuto collocatae sunt, ab Patre Archiabbate novum Superiorem missum iri et R.dum P.rem Villibrordum ad curam animarum in Argentina adhibitum iri.*» (Textus originaliter Theodiscus).

Frumentius RENNEN: Gründungen in Lateinamerika. In: Basilius DOPPELFELD (ed. (1988), p. 106, postquam de P.ris Villibrordi Lay muneris abdicacione rettulit, existimat: «*Et tamen fuisset vir aptus.*» (Textus originaliter Theodiscus).


P. Villibrordus Lay, postquam per aliquod spatium temporis in instituto in loco Maracay sito cooperatus est, anno 1926° Venetiolum reliquit.

35 *Buenos Aires.*

36 Non longe ab statione ferroviariā Mariano Benitez distans.

37 *Cfr* Leander BOPP (1952), p. 67 (ASO, D II); Beda DANZER (1929), p. 146; Frumentius RENNEN: Süd- und Nordamerika. In: Leuchter 4 (1993), p. 282; Frumentius RENNEN: Gründungen in Lateinamerika. In: Basilius DOPPELFELD (ed.) (1988), p. 107.

Höc propositum inter Capitulum speciale anni 1923ⁱ accipiebatur.³⁸



P. Benno Heckel.
[Ottiliense archivum imaginum.]

Primi, qui illuc vecti sunt, erant P. Benno Heckel,³⁹ P. Dionysius Bauridl et Fr. Olaus Schieferle. Tamen satis celeriter iam animadvertebatur höc inceptum nullum effectum exseriturum esse, quā de causā idem deponebatur.⁴⁰ Sed illius temporis episcopus suffraganus Cordubensis⁴¹ Innocentius [*Inocencio*] Dávila y Matos Ottilianis proposuit, ut administrationem instituti Ludovici [*Louis*] Mariae Robles suscipere atque insimul parochiam La Cumbre curarent.⁴² Utamque rem Benedictini acceperunt. Illud autem institutum pueris quōque destinatum ad eorum educationem spectabat. Hac in re propositum quidem erat episcopi suffragani, sed ipsam

scholam Ottilianis contractū tradidit «Unio Popularis Catholica Argentina».⁴³ Videtur provisum fuisse, ut höc institutum fieret schola opificum.

38 *Cfr* Decreta Capituli specialis anni 1923, § 1 (ASO, K.3.1). - In epistolā suā ad participes Capituli specialis anni 1923 directā (ASO, K.3.1) Norbertus Weber höc propositum commendaverat praeter alia scribens illum senatorem pro plerisque rebus pecuniam erogaturum esse, episcopum localem rei assensum esse et Ottilianis nullum periculum exstare.

39 P. Benno Heckel usque ad mensem Novembrem a. 1919ⁱ missionarius in Africa orientali fuerat.

40 Leander BOPP (1952), p. 67 scribit höc inceptum finitum esse uno anno post eius initium; Frumentius RENNER: Süd- und Nordamerika. *In*: Leuchter 4 (1993), p. 282 indicat finem iam semianno post initium factum esse. Praeterea adnotat Ottilianos, qui ibi operati erant, deinde ad fundationem Venetiolanam missos esse et P. rem Bennonem Heckel Superiorem domūs Caracensis redditum esse. Id quod realitati non convenit.

41 *Cordoba*.

42 *Cfr* Leander BOPP (1952), p. 67 (ASO, D II); Beda DANZER (1929), p. 146; Frumentius RENNER: Süd- und Nordamerika. *In*: Leuchter 4 (1993), p. 282; Frumentius RENNER: Gründungen in Lateinamerika. *In*: Basilius DOPPELFELD (ed.) (1988), p. 107.

43 «*Unión Popular Católica Argentina*». - Primo bello mundano finito episcopi hanc consociationem instigaverant, quae erat praedecestrīx «Actionis Catholicae» [*Acción Católica*] anno 1928^o conditae. Erat autem consociatio laicorum, qui in initio rei tantummodo ex stratis socialibus superioribus exoriundi erant. Scopus huius societatis generaliter spectabat ad condiciones operariorum meliorandas, id quod specialiter

Cum P. Paulus Sauter et P. Petrus Wachter anno 1924^o ut visitatores in America meridionali versarentur, mense Maio eiusdem anni etiam in Argentiniam vēnerant, quia ibi condiciones minus stabiles esse videbantur. Imprimis visitoribus impositum erat, ut nonnullas maioris momenti quaestiones contractūs cum Unione Popolari ineundi solverent.⁴⁴ Videntur autem hōc aliquatenus facere valuisse, quia labores ibi incohabantur.

Sed ex hac visitatione etiam aliud inceptum exortum est. Videtur enim P. Paulus Sauter possibilitatibus Argentiniae fascinatus fuisse, quā de causā in ipso idea quaedam crevit, quā ibīdem aliam foundationem suscipere vellet. Ei enim in animo erat nonnullis Fratribus adiuvantibus unā cum colonis Germanis agriculturam condere. Iam inter illam primam commorationem suam in Argentinia P. Paulus Sauter circumvectus est, ut locum inveniret, qui ad talem foundationem ipsi aptus esse videbatur. Hunc locum putavit se invenisse in regione, quae Gran Chaco appellatur,⁴⁵ et ibīdem aream quandam sibi reservandam iam curavit. Post reditum in patriam P. Paulus entusiasmo completus de proposito suo rettulit et etiam in regione circumcirca Archiabbatiam sitā praeconia pro hac re suā fecit. Consilium ipsius erat in eo, ut unā cum nonnullis familiis Bavaris audacibus in Argentinā septentrionali aream in regione Gran Chaco sitam in arborum formam redigeret atque agriculturam ibīdem institueret, ita ut deinde in eādē areā monasterium ut centrum culturale pro sequentibus Germanis atque hominibus emigrantibus

habitationibus vilibus, scholis technicis, beneficiis communibus et similibus rebus fiebat. - *Cfr* ex. gr. Leslie BETHELL (edd.): Latin America: Economy and Society, 1870-1930. New York 1989, p. 361.

- 44 In praeceptis directoriis ad Argentiniam spectantibus (Richtlinien für unsere Neugründungen in Argentinien (23.2.1924), p. 1 (ASO, K.5.3) Norbertus Weber multa dubia enumeravit, quae praeter alia spectabant ad aream Ottilianis tradendam, ad pecuniam pro muneribus Patrum Fratrumque solvendam, ad stipendium alumnorum, ad materias emendas, ad quaestiones, quae cohaerebant cum curriculo institutionum, cum receptione dimissioneque discipulorum, cum rebus aedificatoriis in casū, quo institutum esset amplificandum, et sic porro.
- 45 Regio Gran Chaco appellata ad tres res publicas pertinet, cum eādē in septentrione Argentiniae 500.000 chiliometra quadrata continentur, in occidente Paraguaiae 350.000 chilimometra quadrata et in meridionali-oriente Boliviae 160.000 chiliometra quadrata. Viget ibīdem clima partim subtropicum, partim tropicum. Pars occidentalis illius regionis magis sicca est et in Argentinianā regione Chaco maximi calores percipiuntur. In partibus septentrionali atque occidentali huius regionis numerus incolarum multo minor est quam in parte meridionali. Insignis autem est illa pars stationibus missionariis Iesuitarum.



Regio Gran Chaco appellata, quae ad tres res publicas pertinet.

exoriri posset.⁴⁶ P. Paulus pro hōc inceptō non solum licentiam Archiabbat̄is perpetraverat, sed etiam unum alterumve Fratrem auxiliatorem accepit. Tamen magni momenti erat P.ri Paulo Sauter ob ipsius scientiam agriculturae rei que oeconomicae totā in regione optimam famam fuisse. Itaque omnes consiliis eius confidebant et sic factum est, ut multi homines ex vicis vicinis exoriundi eum sequi parati essent sperantes fore, ut in Argentinā novam existentiā magis prosperam condere valerent. Illi autem, qui ex Bavariā emigraturi erant, ante profectionem domōs suas, praedia, officinas sive vendiderunt sive locaverunt. Tamen amplas sarcinas secum tulerunt, quia non solum proprias res domesticas, sed etiam instrumenta utilia, machinas etc. secum sumpserunt.

P. Paulus Sauter die 24^o m. Mart. a. 1925^o Archiabbatiam Ottiliensem reliquit denuo Argentinam petiturus atque praeparationes quasdam ibīdem instituturus. Secutus est eum primo grex sexaginta iuvenum die 30^o m. Apr. a. 1925^o Hamaburgi navem conscendens, qui iuvenes in loco proviso iam primas domunculas tuguriaque exstruerent, antequam die 10^o m. Iun. a. 1925^o coetus

46 Sic consilium explicatur in Chron. Ott. m. Mart./Apr. a. 1925.

familiarum (qui circiter ex centum hominibus constitit)⁴⁷ profectus est.⁴⁸

Hi omnes ergo in regione Gran Chaco foundationem incohaverunt, cui nomen Sancti Benedicti [*San Benito*] inditum est. Vita autem ibīdem ab initio erat



*Vicus Sancti Benedicti in regione Gran Chaco appellata.
A dextris stat P. Paulus Sauter, in recessū conspicitur ecclesia.
[Ottliense archivum imaginum.]*

durissima. Nam non solum arbores dumetaque ad agros praeparandos erant amovenda, agri erant colendi (ubi experimenti causā maizium, xylinum aliaque plantae serebantur), domūs horreaque erant exstruenda et sic porro, sed etiam aliae difficultates magnae exstabant. Nam unā ex parte illā in regione maximi calores vigeabant, alterā ex parte area, quam P. Paulus elege-

47 Numerus participum in summā fuisse dicitur inter ducentos homines (Frumentius RENNEN: Gründungen in Lateinamerika. In: Basilius DOPPELFELD (ed.) (1988), p. 109) et trecentos homines (Luitpold KLOTZ: Aufzeichnungen (s.a.), p. 1 (ASO, K.5.3)).

48 *Cfr* Chron. Ottil. m. Mart./Apr. a. 1925; Martin HARTL: Tagebuch (s.a.), pp. 1, 19 (ASO, K.5.3); Luitpold KLOTZ: Aufzeichnungen (s.a.), p. 1 (ASO, K.5.3) (annus huius scripti non indicatur, sed ex ipso textū apparet eundem post annum 1972^{um} conscriptum esse). Martinus Hartl erat ferrarius mechanicusque, qui inter primum gregem iuvenum erat, deinde etiam per aliquod spatium temporis in Ottilianorum domo Los Cóndores cooperatus est. Unus ex fratribus Luitpoldi Klotz etiam erat in primo grege iuvenum emigrantium. Ille Matthaes Klotz post nonnullos annos iterum in patriam revertit.

rat, non longe a lacū salso sita erat.⁴⁹ Inde maxima problemata evēnērunt, cum aqua potabilis deesset atque difficulter afferenda esset.⁵⁰ Conamina, quibus coloni puteos fodēbant (usque in profunditatem quinquaginta duorum vel undeseptuaginta metrorum), in irritum quōque ceciderunt, quia aqua, quam coloni invēnērunt, etiam salita erat.⁵¹

Iam his condicionibus non nimis prosperis frustratio colonorum iam fuit satis magna⁵² et insuper de die in diem aes alienum auctum est. Tamen difficultates maiorabantur. Nam calores generaliter vigentes inter diem 3^{um} atque 5^{um} m. Dec. a. 1925^o usque ad quadraginta septem gradūs aucti sunt. Nemo iam operari valuit, pecora vexata clamitaverunt et illis diebus tota messis aestū combusta est.⁵³ Hunc in modum calamitas, quae paulatim iam praevideri

49 *Cfr* Luitpold KLOTZ: Aufzeichnungen (s.a.), p. 2 (ASO, K.5.3); Frumentius RENNERT: Gründungen in Lateinamerika. *In*: Basilius DOPPELFELD (ed.) (1988), p. 109; Frumentius RENNERT: Entfaltung. *In*: Leuchter 2 (1992), p. 32; Frumentius RENNERT: Süd- und Nordamerika. *In*: Leuchter 4 (1993), p. 285.

50 Martin HARTL: Tagebuch (s.a.), p. 2 (ASO, K.5.3) refert illam aquam allatam fuisse sordidam atque omnimodo coquendam fuisse.

51 *Cfr* Martin HARTL: Tagebuch (s.a.), pp. 2, 23 (ASO, K.5.3); Luitpold KLOTZ: Aufzeichnungen (s.a.), p. 2 (ASO, K.5.3)

52 P. Placidus Weber, qui in Argentina et deinde diu in Venetiola cooperatus est, diarium conscripsit (ASO, A.1.8.1), quo multa de Argentiniano loco Los Cóndores et etiam nonnulla de condicionibus P.ri Pauli Sauter deque eius inceptis comperiuntur. P. Dominicus Drexler, qui diarium Placidi Weber transcripsit (pro quo opere gratiae ei sunt agenda), diei 26^o m. Maii a. 1926^o adnotationem illius temporis Archiabbatis Notkeri Wolf die 9^o m. Dec. a. 1992^o factam subiunxit. Ibīdem Notker Wolf refert de colloquio, quod aliquando cum F. Augustino Wurzer habuerat, qui quōque in regione Gran Chaco cooperatus erat. Fr. Augustinus Wurzer enim narraverat colonos plures epistulas scripsisse ad familias suas in Bavariā viventes, quibus de condicionibus pessimis questi sunt, sed illos colonos miratos esse, quod nulla responsa ab suis accepissent. Cum P. Paulus aliquando in itinere esset, Fr. Augustinus eius conclave intravit suspicatus eum illas epistulas non transportavisse. Et revera post cortinam quandam invēnit magnam struem epistularum, quae non erant missae. - De hōc colloquio cum F. Augustino Wurzer ipse Abbas Primas Notker Wolf mihi quōque narravit.

Sed ex hac re etiam apparere videtur desperatio quaedam P.ri Pauli Sauter, qui condiciones pessimas valentes dispergi noluerat.

Thomas Spreiter in epistulā die 10 m. Aug. a. 1925 ad Bonifatium Sauer directā (ASO, Z.3.0.1.19) iam commemoravit in Argentinianā fundatione Sancti Benedicti mandatum esse, ut solum pauca ad alios scriberentur.

53 *Cfr* Martin HARTL: Tagebuch (s.a.), pp. 3, 24 (ASO, K.5.3); Frumentius RENNERT: Entwicklung. *In*: Leuchter 2 (1992), p. 32. - Frumentius RENNERT: Gründungen in Lateinamerika. *In*: Basilius DOPPELFELD (ed.) (1988), p. 109; Frumentius RENNERT: Süd-

potuerat, completa erat. P. Paulus illis diebus negotiorum causā Bonaëropoli versabatur, sed re comperā statim revertit et consultationibus habitis decernebatur foundationem dissolvendam esse.⁵⁴ Vasibus ergo collectis die 25^o m. Dec. a. 1925^o plerique «coloniam» Sancti Benedicti reliquerunt. Sed catastrophe eo maior erat, quia coloni paene omnia, quae habuerant, hōc experimento amisērunt.

Causae, cur hōc inceptum tam calamitose in irritum cecidisset, certe erant variae. Scilicet condiciones ipsius loci erant nimis inopportunae. Imprimis deficientia aquae potabilis hōc in conexū afferenda est, sed etiam nimius aestus, qui ibi vigere solebat. Praeterea ab initio non satis pecuniae ad rem bene sustentandam adfuisse videtur. Quaerendum ergo est, num P. Paulus Sauter locum condendi non satis diligenter exquisiverit.⁵⁵ Deliberandum etiam est, num foundationem fortasse nimis celeriter instigaverit.

Etiam nonnulli contemporanei iam dubitationes de effectū incepti protulerant. Imprimis episcopus



Fr. Augustinus Wurzer.
[Ottiliense archivum
imagineum.]

und Nordamerika. In: Leuchter 4 (1993), p. 285 scribit calamitatem denique post nonnullos annos aridos factam esse. Sed tam diu res non durabat, cum semianno post initium hōc inceptum iam finitum esset.

54 Placidus Weber in diario suo sub Kal. Ian. a. 1926 (ASO, A.1.8.1) scripsit inceptum P.ri Pauli propter condiciones improsperas corruī et dissolutum iri.

Cfr etiam Martin HARTL: Tagebuch (s.a.), pp. 3, 25 (ASO, K.5.3); Luitpold KLOTZ: Aufzeichnungen (s.a.), p. 2 (ASO, K.5.3); Godfrey SIEBER (1992), p. 133; Frumentius RENNER: Gründungen in Lateinamerika. In: Basilius DOPPELFELD (ed.) (1988), p. 109; Frumentius RENNER: Süd- und Nordamerika. In: Leuchter 4 (1993), p. 285; Cyrill SCHÄFER: Stella Maris. St. Ottilien 2005, p. 140. - *Cfr* etiam Bericht der Sitzung des Spezialkapitels am 12.1.1926, p. 1 (ASO, K.3.1).

55 Frumentius RENNER: Gründungen in Lateinamerika. In: Basilius Doppelfeld (ed.) (1988), p. 110; Frumentius RENNER: Süd- und Nordamerika. In: Leuchter 4 (1993), p. 286 adnotat non facile diiudicandum esse, num P.ri Paulo culpa quaedam sit attribuenda. Et subiungit eum non temerarie progressum esse, sed eum antea per amplas regiones ad locum aptum inveniendum itineratum esse. - Nihilominus - ut puto - mirandum est P.rem Paulum Sauter illos defectūs atque illa impedimenta loci, quem exquisiverat, non animadvertisse.

Thomas Spreiter ab initio huic rei prorsus diffidebat et malum finem praedixerat.⁵⁶ Etiamsi Thomas Spreiter semper celeriter paratus erat de actis aliorum non nimis benigne diiudicare, tamen hac quoque in re condiciones clare percipiebat. Posteriores investigatores praeterea causam calamitatis etiam in nimio optimismo P. ris Pauli Sauter invēnerunt, qui facultatibus suis atque experiētiis suis in Bavariā factis confisus realitates non vidit vel videre noluit.⁵⁷

Tamen collapsū foundationis Sancti Benedicti in regione Gran Chako sitae historia huius incepti nondum erat omnino finita. Nam P. Paulus Sauter putavit esse officium conscientiae suae, ut saltem pro illis familiis, qui ipsi fideles manserant, alium locum quaereret, ubi vivere et operari possent.⁵⁸

56 *Cfr* ex. gr. Thomae Spreiter epistula die 9 m. Iun. a. 1925 ad Bonifatium Sauer directa (ASO, Z.3.0.1.19), quā scripsit inceptum, quod cum emigrantibus institui videretur, esse contra scopos Congregationis; Thomae Spreiter epistula die 10 m. Aug. a. 1925 ad Bonifatium Sauer missa (ASO, Z.3.0.1.19), quā P. rem Paulum Sauter esse phantastam et locum electum male situm esse diiudicavit. Praeterea scripsit illud inceptum fuisse stultissimum, de quo exoptavit, ut celeriter corrueret, quia collapsus pro certo fieret; Thomae Spreiter epistula die 15 m. Sept. a. 1925 ad Placidum Vogel directa (ASO, Z.3.0.1.5), quā conamen audax colonorum in Argentina appellavit insipientiam; Thomae Spreiter epistula die 26 m. Oct. a. 1925 ad Bonifatium Sauer missa (ASO, Z.3.0.1.19), quā rettulit se iam mense Aprili ad Norbertum Weber scripsisse inceptum colonorum non habere posse bonum effectum, immo execrationes participum expectari posse et collapsum iam imminere.

57 *Cfr* imprimis Cyrill SCHÄFER (2005), p. 140, qui quoque non falso putat inceptum propter praeparationem non sufficientem atque inscientiam regionis in irritum cecidisse. - De nimio optimismo etiam Frumentius RENNER: Gründungen in Lateinamerika. In: Basilius DOPPELFELD (ed.) (1988), p. 110; Frumentius RENNER: Süd- und Nordamerika. In: Leuchter 4 (1993), p. 286.

Beda Danzer in epistulā die 10 m. Iul. a. 1926 ad Paulum Sauter directa (ASO, K.5.3) scripsit se libenter credere id, quod in Argentina factum esest, Paulo Sauter gravissimum fuisse, quod idem umquam expertus esset. Sed subiunxit scientiam, quam Paulus Sauter in agriculturā Europaeā habuisset, eum adduxisse, ut res colore nimis rosaceo videret et - quod eius maximum mendum fuisset - ut res domi colore nimis rosaceo depinxisset.

58 Sic Placidus Weber in diario sub die 21 m. Febr. a. 1926 adnotat (ASO, A.1.8.1). - Placidus Weber ibi scripsit de quinque familiis, sub Kal. Ian. a. 1926 sermo est de septem familiis. Alibi octo familiae indicantur: Bericht der deutschen Gesandtschaft in Argentinien (um 1930): Die bayrischen Kolonisten in Argentinien (ASO, K.5.3); Frumentius RENNER: Gründungen in Lateinamerika. In: Basilius Doppelfeld (ed.) (1988), p. 110; Frumentius RENNER: Süd- und Nordamerika. In: Leuchter 4 (1993), p. 286.

Postquam quaedam aliae deliberationes ad effectum adduci non potuerunt,⁵⁹ P. Paulus constituit se cum illis familiis convertere ad coloniam «Eldorado» nuncupatam et in provinciā sitam, quae dicitur «Misiones».⁶⁰ Videtur autem P. Paulus Sauter ibīdem novam foundationem incohare voluisse, quā culturam plantae ilicis paraguariensis⁶¹ instituere voluit.⁶² Sed haec res ad effectum non est adducta. Tamen illae reliquae familiae⁶³ ad locum «Eldorado» transmigraverunt, ut ibi vitam degerent.⁶⁴

P. Paulus ipse per aliquod spatium temporis in Argentinā mansit quasdam res suscipiens,⁶⁵ sed propter eventum pessimum, quin etiam calamitosum

59 *Cfr* Placidus Weber, qui in diario suo sub die 21 m. Febr. a. 1926 (ASO, A.1.8.1) scripsit P. rem Paulum praetulisse cum reliquis colonis in propinquo domūs Ottilianae in dioecesi Cordubensi sitae manere, sed areas ibīdem conducendas non exstare. - Scitū autem dignum est, quod Placidus Weber subiunxit. Scripsit enim hōc pro Ottilianis eā de causā bonum esse, quia coloni omnibus in rebus pecuniariis monasterium perciperent ut vaccam mulgendam.

60 *Cfr* Placidi Weber diarium, 22.3.1926 (ASO, A.1.8.1). - Provincia «Misiones» sita est in parte septentrionali-orientali Argentiniae iuxta fines Paraguaiae et Brasiliae. Appellatur autem secundum missiones Iesuitarum, quae illā in regione inveniuntur.

61 Yerba-Mate. - Ex hac plantā thea fit.


62 Placidus Weber in diario suo sub diebus 30 m. Iun. a. 1926 et 29 m. Iul. a. 1926 (ASO, A.1.8.1) de hōc proposito rettulit, de quo Patres Cordubae versantes etiam disputaverant. Iidem enim valde dubitaverunt de bono effectū, cum cultura ilicis paraguariensis demum post decem annos reditum praerberet et P. Paulus insimul culturam maizii incohare vellet, quā culturam ilicis sustentare in animo habuit. Patres autem Cordubenses putaverunt pecuniam pro utroque incepto necessariam primo ad manum esse debere, ne tota res in aere alieno fundaretur.

63 Pars illorum, qui inceptum Gran Chaco participaverant, suo Marte alium locum vivendi aliosque labores in Argentinā sibi quaesiverant, alii vero in Bavariam redierant.

64 Ex brevi relatione quādam legationis Germanicae, quae circiter annum 1930^{um} composita est (Bericht der deutschen Botschaft in Argentinien (um 1930): Die bayrischen Kolonisten in Argentinien (ASO, K.5.3)) apparet illos homines pecuniam ad transmigrandum non habuisse, quae eis tamen partim ab Argentaria Germanica Americae meridionalis, partim ab colonia «Eldorado» mutuam data est. Hunc in modum illi octoginta homines mense Aprili a. 1926ⁱ ad coloniam «Eldorado» pervenire valuerunt. Coloni Bavari deinde laboribus suis ibīdem exhibitis aes alienum contractum reddere potuerunt, id quod circiter annum 1930^{um} factum est.

65 In initio mensis Iulii a. 1926ⁱ P. Paulus munus sacerdotis apud Sorores quasdam in loco Río Tercero suscepit, quod mense Novembri eiusdem anni ad tempus deposuit, quia per Argentiniam itinerans pecuniam colligere voluit. Tamen hōc fuit sine magno effectū. Quā de causā medio mense Decembri a. 1926ⁱ denuo ad locum Río Tercero se contulit munus

fundationis suae quadamtenus homo fractus erat. Itaque non est revera mirandum eum Kal. Ian. a. 1927ⁱ apoplexiā correptum esse.⁶⁶ Graviter quidem aegrotabat, sed eius valetudo aliquatenus restitui potuit. Mense Aprili a. 1927ⁱ P. Paulus Sauter denique in Germaniam revertit.⁶⁷



P. Placidus Weber.
[ASO, A.1.1.1, PA Weber.]

Sed interea etiam fundatio Cordubensis periclitavit. Nam contractū cum «Unione Populari Catholica Argentiniana» Kal. Maii a. 1924^o inito Ottilianis administratio collegii tantummodo ad duos annos tradita erat. Tamen ab «Unione Populari» Ottilianis significatum erat collegium post illos duos annos eis in possessionem traditum iri. Sed anno 1926^o sodales illius «Unionis» huic promisso stare noluerunt.⁶⁸ Ottiliani autem nullo modo manere voluerunt, nisi possessores collegii cum omni libertate administrandi fierent.⁶⁹ Revera hōc inceptum in initio mēsis Februarii a. 1927ⁱ finiebatur.

Itaque Ottiliani in Argentinā versantes alias possibilitates quaesiverunt. Proposuit eis enim advocatus quidam, cui nomen erat Dr Abraham Molina, ut in vico Los Cóndores in meridie Cordubae iuxta oppidulum Modesto Acuña sito scholam elementariam atque scholam opifi-

suum iterum suscipiens.

- 66 *Cfr* Placidi Weber diarium, 1.1.1927 (ASO, A.1.8.1). - Frumentius RENNERT: Gründungen in Lateinamerika. *In*: Basilius DOPPELFELD (ed.) (1988), p. 110; Frumentius RENNERT: Süd- und Nordamerika. *In*: Leuchter 4 (1993), p. 286 utroque loco scribit de mense Ianuario anni 1926ⁱ, quod falsum est.
- 67 Quaedam de incepto P. ris Pauli Sauter hic referre potuimus, sed Cyrill SCHÄFER (2005), p. 140 adn. 306 recte monet historiam huius experimenti coloniae condendae adhuc scribendam restare.
- 68 *Cfr* Placidi Weber diarium, 2.1.1926 (ASO, A.1.8.1).
- 69 Scitū dignum est, quod Placidus Weber in diario suo sub die 3 m. Ian. a. 1926 (ASO, A.1.8.1) adnotavit. Scripsit enim esse revera magnam curcem, si quis dependeret de hominibus, qui praeter munus suum haberent delectamentum, quo sodales «Unionis Popularis» essent, et qui mirabiliter se gererent, quamquam paene nullam scientiam de eruditione populi, de educatione populi et de communi curā populi haberent.

cum suscipere.⁷⁰ Iterum Ottilianis promissum est illud institutum post duos annos in eorum possessionem transiturum esse. Praeterea provisum erat, ut ipsi ab initio oeconomice propriis pedibus starent. Hoc significat eos ab discipulis stipendium postulare atque opificinis ipsis pecuniā mereri debuisse.⁷¹ Ottiliani Cordubenses propositum D.ris Abrahae Molina acceperunt atque contractum inierunt, quem quōque in Germaniam ad Ottiliensem domum matricem miserunt.⁷² Ipsi Patres Fratresque, quorum Superior erat P. Benno Heckel, iam in initio mensis Februarii anni 1926ⁱ ad vicum Los Cóndores transmigraverunt et die 15^o m. Apr. a. 1926^o institutio scholaris ibīdem incohata est.⁷³

Tamen etiam hōc inceptum non ita bene se habuit. Nam unā ex parte varii aspectūs illius contractūs, quem Patres Argentiniani cum D.re Molina inierant, in Archiabbatiā displicuisse videntur, quā de causā iam mense Maio a. 1926ⁱ inde postulabatur, ut fundatio dissolveretur.⁷⁴ Etiam retractationes quorundam articulorum contractūs et commercium epistulare inter D.rem Molina et Archiabbatem nullum alium effectum habuerunt.⁷⁵ Sed maioris momenti erat instituti condicio oeconomica. Nam expensae erant multo maiores quam accepta, cum exempli gratiā opifices externi in opificinis scholae operari deberent, quibus salarium solvendum erat, tamen non satis mandata ad opificinas afferebantur, ut eadem pecuniam acciperent. De die in diem condicio peiorata est et periculosior facta est, cum insuper aes alienum contrahendum esset.⁷⁶ Omnes quadamtenus supra vires laboraverunt ad

70 *Cfr* Placidi Weber diarium, 2.1.1926 (ASO, A.1.8.1); Leander BOPP (1952), p. 67 (ASO, D II), qui nomen illius advocati falso indicat scribens fuisse Abraham Acuña; Frumentius RENNEN: Gründungen in Lateinamerika. *In*: Basilius DOPPELFELD (ed.) (1988), p. 107; Frumentius RENNEN: Süd- und Nordamerika. *In*: Leuchter 4 (1993), p. 283, qui utroque loco falso indicat annum 1924^{um}.

71 Hoc adnotat Placidus Weber in diario, 2.1.1926 (ASO, A.1.8.1).

72 *Cfr* Placidi Weber diarium, 10.2.1926 (ASO, A.1.8.1).

73 *Cfr* Placidi Weber diarium, 15.4.1926 (ASO, A.1.8.1). - Officialis inauguratio scholae erat die 5^o m. Maii a. 1926^o.

74 *Cfr* Placidi Weber diarium, 22.5.1926 (ASO, A.1.8.1).

75 *Cfr* ex. gr. Placidi Weber diarium, 27.7.1926, 1.8.1926 (ASO, 1.8.1).

76 P. Placidus Weber malam, quin etiam pessimam condicionem pecuniariam in diario suo iterum iterumque commemoravit (ex. gr. 7.8.1926, 14.8.1926, 31.8.1926, 9.9.1926, 26.9.1926, 4.12.1926, 10.12.1926, 11.12.1926, 10.3.1927, 26.3.1927, 29.3.1927). Denique etiam P. Placidus Weber has ob causas optimismum suum, quem diu habuerat, amisit et confiteri coactus erat ex illa fundatione nihil fieri posse.

condicionem instituti meliorandam. Praeterea P. Benno Heckel et P. Placidus Vogel curam animarum in paroechiā illā satis latā suscēperant et decursū temporis confratres interdum iam de salute atque valetudine imprimis Superioris sui timuerunt.

Ex relationibus, quas ex Argentinā accepit, Archiabbas Norbertus Weber ad persuasionem pervēnit inter breve spatium temporis de fundatione Los Córdores decernendum esse, cum condiciones - imprimis pecuniariae - essent inopportunae. Itaque iam de fundatione dissolvendā deliberavit.⁷⁷ Nihilominus Norbertus Weber putavit necessarium esse, ut ipse in Argentiniam veheretur, res inspiceret atque consultationibus cum Patribus habitis de Argentinianā fundatione Los Córdores decerneret.⁷⁸



*In loco Los Córdores:
Archiabbas Norbertus Weber unā cum pueris primam communionem celebrantes.
[Ottliense archivum imaginum.]*

Itaque Norbertus Weber hōc iter suscepit et in fine mensis Augusti a. 1927ⁱ in Argentiniam advēnit. Postquam condiciones instituti diligenter inspexit et

77 *Cfr* Placidi Weber diarium, 2.7.1927 (ASO, A.1.8.1), ubi argumenta epistolae ab Archiabbate allatae attulit.

78 Bonifatius Sauer in epistolā die 29 m. Mart. a. 1927 ad Thomam Spreiter directā (ASO, Z.3.0.1.19) putavit non esse opportunum Archiabbatem ipsum in Argentiniam vecturum esse, quia secundum suam sententiam mandata ex longinquo allata (id est ex domo matrice et scripto modo) potius ad effectum adducerentur. - Tamen Bonifatius Sauer hōc in casū videtur erravisse.

etiam alias res invisendas suscepit, Archiabbas in fine mensis Septembris a. 1927ⁱ plura colloquia maioris momenti cum P.re Bennone, P.re Placido atque P.re Dionysio instituit. Inter illas consultationes Superior P. Benno Heckel explicuit se labores tantummodo continuare posse, si plures monachos ex Ottiliensi Archiabbatiā acciperent, ut ex. gr. opera in officinis sine opificibus externis exanclare possent. Quia Norbertus Weber hōc desiderium explere non valuit, officialis causa foundationis dissolvendae inventa erat, quā omnes contenti fuisse videntur. Sic in colloquio diei 28ⁱ m. Sept. a. 1927ⁱ de sorte definitivā instituti Los Córdores decernebatur.⁷⁹ Quid de monachis huius foundationis Argentinianae fieret, ipse Archiabbas in eādem sessione constituit: P. Placidus Weber, P. Dionysius Bauridl, Fr. Olavus Schieferle, Fr. Oswaldus Schmalzbauer, Fr. Notker Mayer, Fr. Xaverius Lampart, Fr. Augustinus Wurzer in Venetiolum missi sunt, P. Benno Heckel, Fr. Rudesindus Resch, Fr. Sigebertus Schreiber in Germaniam reverterunt.⁸⁰ Hunc in modum capitulum, quod «Argentina» inscriptum erat, Ottilianis finitum erat.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 201, 2015, pp. 335-359]

79 *Cfr* Placidi Weber diarium, 28.9.1927 (ASO, A.1.8.1); etiam Norberti Weber epistula die 28 m. Dec. a. 1927 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 421).

Institutum in loco Los Córdores sublatum esse etiam commemorant Leander BOPP (1952), p. 67 (ASO, D II); Frumentius RENNEN: Gründungen in Lateinamerika. In: Basilius DOPPELFELD (ed.) (1988), p. 107; Frumentius RENNEN: Süd- und Nordamerika. In: Leuchter 4 (1993), p. 283.

80 *Cfr* Placidi Weber diarium, 28.8.1927 (ASO, A.1.8.1).